vel familiaritatem habere. Bene vale. Data Pattensen Dominica Sexagesima A°. 1549.

Antonius Corvinus

105) Testimonium.

Vocatus est ad ministerium Evangelii in Dransfeld hic Valentinus Heiland, quem posteaquam intelleximus, piis et honestis moribus praeditum esse, et puram Evangelii doctrinam, quam Ecclesia Christi profitetur, tenere et profiteri, et abhorrere a fanaticis opinionibus, quae damnatae sunt judiciis ejusdem Ecclesiae iohorrem, commendavimus ei publica ordinatione, curam et ministerium docendi Evangelii et sacramenta in Evangelio instituta administrandi summa cum fide et diligentia. Et pollicitus est etiam se puram doctrinam, quam profitemur fideliter populo traditurum esse.

Quare commendamus eum Ecclesiae Dransfeldianae, et precamur, ut Spiritus sanctus gubernet huius Valentini ministerium ad gloriam Dei et Domini nostri Jesu Christi, et ad salutem Ecclesiae. Datae Gottingae. Dominica Sexagesima 1549.

Joachimus Morlin Doctor.
Simon Cleinsmidt.
Andreas Lehmenhaus.
Franciscus Marshausen etc.

S. D.

106.) Amicissime Matthia, tuum candorem et apertum animum. Quod igitur quaedam tibi minus probantur in meis thematibus, non aegre fero. Magna enim est judiciorum varietas, praesertim in rebus positis extra captum rationis, quae non capiens divina subinde colligit absurda ex divino verbo.

Caeterum